# DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE

# ERYSIPELATE

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
*PRAESIDIS ET DIRECTORIS*,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
*D. D. PROFESSORUM*,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA
IN
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
publicae disquisitioni submittit

*Ignatius S. Buberl*,
Bohemus Schoenfichtensis
Medicus castrensis.



*In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Maji* 1834.

---

Vindobonae,
Typis Francisci Ludwig.

CELSISSIMO AC ILLUSTRISSIMO

*DOMINO DOMINO*

CLEMENTI VENCESLAO

LOTHARIO

*PRINCIPI*

A

**METTERNICH-WINNEBURG,**

*DUCI PORTELLAE,*

COMITI IN KÖNIGSWART,

DOMINO IN PLASS, KRASCHOW, KATZEROW, BIELÁ, AMONS- ET MARCUSGRÜN, MILTIGAU, SCHÖNFICHT, JOHANNESBERG, BRZESOWITZ, KOWALOWITZ etc.

OPTIMATI HISPANICO PRIMAE ADMISSIONIS,

Aurei Velleris, Ordinis St. Stephani Regis Apostolici Magnae Crucis, Aureae Crucis de Meritis civilibus; ordinis S. Joannis Hierosolymitani, Caes. Russicorum Ordinum S. Andreae, S. Alexandri Newsky, et S. Annae primae classis, S. Spiritus ac reliquorum Ordinum Reg. Gallicorum, Magnae Crucis, Legionis Honorum, Reg. Sardinici Annunciatae, Reg. Danici Elephantini, Reg. Borussici nigrae et rubrae Aquilae, ac Reg. Svecici Seraphini, magnae Crucis Reg. Hispanici Caroli III$^{tii}$, Reg. Portugallici Christi, Caes. Brasiliani meridionalis Crucis, Reg. Siciliani S. Jannuarii, Magnae Crucis S. Ferdinandi, ac Meritorum civilium, Reg. Bavarici S. Huberti, Magnae Crucis Magni Ducatus Hetruriae S. Josephi, Ordinum Reg. Würtembergicae Coronae et Reg. Saxonici Adamantinae Coronae, Magnae Crucis Reg. Hannoverani Guelphorum, Reg. Belgici Leonis, atque Principis Electoralis Hassiae Leonis, et Magni Ducatus Hassiae domestici, Magni Ducatus Baadensis Fidelitatis, Magnae Crucis Magni Ducatus Saxonici Falconis ac Constantini, S. Georgii Parmensis Ordinum Equiti; Sacrae Caes. Reg. Apostolicae Majestatis actuali intimi Status Consiliario, Cammerario, Augustissimae Domus-Aulae-et Status Cancellario. Status et Conferentiarum Ministro. Cancellario militaris ordinis Mariae Theresiae: Curatori Caes. Reg. Academiae artium liberalium: Conservatori Universitatis Cracoviensis: Caes. Reg. oeconomicae Societatis Viennensis, Caes. Reg. Societatis ad promovendam agriculturam, physico- et chorognosiam Brunae, Reg. Academiae artium liberalium et Scientiarum Hafniae Membro: Caes. Reg. Societatis oeconomicae Labaci, Academiae artium bellarum Mediolani. Parmae, et S. Lucae, Romae, Erfordiensis Societatis scientiarum utilium, Academiae italicae, Litteraturae Romae, Caes. Reg. Societatis philharmonicae Labaci etc. membro honorario.

## CELSISSIME PRINCEPS.

Sapientia, Fortitudo Clementia, singulae si obvenient, Principum decus et ornamentum esse consueverunt: in TE autem trigeminatae virtutes florent adeo, ut NOMEN TUUM per omnem orbem terrarum admirationem, quam laudare non licet, sibi adtribuat.

Si ergo titulo Dissertationis meae inauguralis insigne Nomen Tuum adscribere licet, clementiae TUAE in me — humillimum et piissimum inter illos, qui TE colunt, venerantur et admirantur, maximum edidisti documentum. Bis terve beatus! impar gratias Tibi, agendi a Superis potius longissimam TU-

AM et sanissimam rogo ardenti desiderio vitam, ut fulcrum Regnis, et Musis earumque filiis Augustus existat.

Celsissime Princeps!

Tuus Tibi totus
J. Buberl.

Non inutilem eorum locari operam arbitror, qui illorum, quae prisca aetas tulit, notiones examinant et dilatant.

M. Stoll ratio medendi praef.

Non venanda observationum lustra sunt, sed popularibus potius et quotidianis morbis operam assiduam opertet navare.

Id quoque, vel simile, admirabile Stollii ingenium alicubi sensit.

# Lecturis salutem!

Absoluto studiorum curriculo ac superatis tentaminibus rigorosis debitum hisce pagellis meditationis argumentum D. D. praefectis, collegis vero, quorum fidelium totus ego semper maneam in idea, promemoria aliquod offero. Etsi laboris hujus objectum ex suavissima mihi omnium ophthalmiatria pridem selegissem, commodius tamen prima nunc necessaria dissertationis cogitatione erysipelas huicce scopo rectius considerare propterea e re visum est, cum morbum huncce et communissimum, et gravissimum, in nosocomio nostro militari, ubi exanthematibus reliquisque morbis acutis per menses octo medicinam feci, multoties observaverim, tum ipsemet ab aliquot retro septimanis omino-

sum erysipelas faciei bullosum perpessus sim. Novi nihil tenere, non est, cur displiceat haecce opella, etenim arduum est, nova edere et insimul bona, paucisque comprehendere multa; — milleni superadhuc vel in continuum scribunt, quin minimum prorsus novi in lucem proferant; sedenim illa mihi magis timendi ratio est, ne his quidem, quae decantata jam ab ex miis artis medicae viris de hoc morbo sunt, examinandis et compilandis mediocres, quae mihi concessae sunt vires, sufficiant.

Periti cognoscant et faveant.

---

## *Introductio.*

In duos omnes, quae hominis cutem deturpant, efflerescentias morbosas magnus artis medicae heros, cel. P. Frank, diremit ordines, quorum alium, primum vocatorum, impetiginum voluit, seu morborum diuturnorum, afebrilium; — exanthematum vero alium, febre et definito decursu clarissime insignitorum.

Haec nunc aegritudines pyreticae ad animum cl. Prof. Bischoff, in duas denuo discedunt familias: exanthematum contagiosorum, indeque essentialium dictorum primam, secundam non essentialium, contagii altitudine ipsis denegata.

Vindicant sibi exanthemata contagiosa primo, protypum ceterorum, variolas nempe humanas, varioloides dein et varicellas, scarlatinam, rubeolas, morbillos, typhum contagiosum exanthematicum et pestem.

Referuntur vero ad numerum familiae alterius: erysipelas, urticaria, miliaria, petechiae, pemphygus et denique aphthae.

Dicturus itaque de primo seriorum sum, i. e. de erysipelate in genere et de illo in spe-

cie ſaciei — qua morbo acuto exanthimatico, febrili utplurimum et non contagioso abhinc credito.

### *N o t i o.*

Est vero erysipelas v. rosa (Rose, Rothlauf, Anschuss, v. si celatam plerumque etimologiam graeco-latinam spectas — cum nullum forte erit nomen, quod non possis una littera explicare, unde ductum sit —, deductum Graecorum *το ερυσιπελας* partim ab erysos volunt, et *πελας*, *πελος*, *ελκος*, tumor, vulnus, ulcus; partim ab *ερυσος*, ruber et *σειειν* affici; inflammatio itaque superficialis rosea, quae (*εις τα πελας*) sese facile ultro propagat etc.) exanthema diffusum, rubens, flavescens, livescens, pruriens ardens, appresso digito pallidum, in unica plerumque saepe latiore corporis plaga, utplurimum febile et resolutioni squammiferae amicum; vel et vasorum cutis capillarium et lymphaticorum apparenter inflammatio maxime superficialis dicta est, hac illave systematis vasiferi parte, aliisve continuis et contiguis plus minus affectis, diversim modificata.

### *Ulterior notionis expositio.*

Abstrusa semper mortalibus ultima ubique rerum natura, et neglectis hic aliis pathologorum de morbi essentia acute dictis, id solum de erysipelatis indole praedicare fas sit,

quod, centies si quis viderit pepertum, nonaginta quinquies symptoma esse conceperit morbi alius, cujus in sanationem, suique conservationem ininterrupte et indefesse hominis agit et reagit natura; atque idcirco, quemadmodum in febre, alias sola, aliud in erysipelate insigne doctis placet cognoscere naturae medicatricis conamen, materiam, ut ajunt, peccantem ex organismo pellendi. Gravissimum hunc aestumo erysipelatis conceptum, et totus certe in illius maneat idea, salutiferam qui cupit rosae facere medicinam.

*Cognitio formae et divisionis.*

Diversitas habitus erysipelatis externi ingens quondam existumata est, cujus sub nomine vel alienissimi morbi libros intrarunt; nec Rustius, laudatus suus ubique elucubrator, encomii sufficienter dignus habetur, cum sua in verum et spurium erysipelas quid distinctio solidi teneat, ego profecto nesciam, quia, dum rationis dictamina sequamur, deleatur pseudoerysipelas opertet, et pro spurio, apto suo quivis nomine morbus denominetur. Nilominus parit tamen gradus, sive fibrem respicias, sive locum erysipelaceum, febris conditio aliaque plura modificationem. — In genere fidelissimus comes suus febris inflamma-

toria vel pura v. inflammatoriobiliosa habetur; verum et cuicumque alii gastricae loca ceduntur, imo et neuropathica atque putrida vel a primis non umquam morbi initiis, vel ulteriore decursu, ob pravam plerumque medendi methodum, victrices evadunt- Apparentiores adhuc modificationes docet morbi conspectus. — Cum auctorum e r y t h e m a i d i o p a t h i c u m, aut c o n s e n s u a l e, ut vel morbos pure putem traumaticos, vel vicinitatis consensu ortos, nullo modo prorsus consentiamur, illorum potius mentem, qui per auctam erysipelatis iram, p h l e g m o n o i d e m, ex subfuso epidermidi sero invitum illud b u l l o s u m, o e d e m a t o s u m ex tumoris qualitate a f e b r i l e ex febris absentia, h a b i t u a l e ex reversionis frequentia, aut praesentiae suae constantia, dictum i g n e m St. A n t o n i i ex malignitate, Z o n a m v e ex habitu suo externo circiniformi, et alia cognoscunt, libenter tuemur.

*Historia erysipelatis vulgaris, seu Descriptio.*

Facilem habet erysipelas cognitionem, cardinalibus omnibus omnis inflammationis signis stipatum, ut, scarlatina excepta, qui semel conspicit, memoriae in perpetuum mandatum teneat, singulis hujus quippe incendii satellitibus ita modificatis, ut ex stabilita eorundem

disproportione, atque disharmonia sua, quae specifica audit natura, abunde pateat.

Ubi tamen decursus erysipelatis ante oculos ponendi interest, prae ceteris ratio habenda febris est, quae gravioribus plerumque casibus antecedit, rarius aggreditur vel insequitur. Omnis certe erysipelatis morbus stadiis distinctis pluribus, variolae ad instar, continetur; generalia duo in- et decrementi stadia, acmes puncto interposito, manifesta sunt, singuli vero sedula in speciales periodos divisio et explanatio non habetur. Prodromis diversissimi sed inconstantis generis praegressis, exordium suum morbus ipse notabili sumit frigore, calore subsequo, cephalalgia, agrypnia pervigiliis; sitis urget, lingua siccescit, os utplurimum amarum est, alvus strenua, apud infantes mox copor, interdum convulsio accedunt, vomituritio, vomitus et pulsus exanthematis eruptionem adusque nimiopere frequens; febris itaque comparet cum typo continuo remittente, imo continente, et quinque septemve, ut mora plurimum docet, dierum spatio absolvenda. Secunda plerumque vel tertia a febris principio die, in conspectum prodit rosa, suamque, quam habet indolem exanthematicam, devincit. Febris posthinc remittere incipit, pulsus tardiores fiunt, et pectoris anxie-

tas minuitur, pari quidem, qua surgit et crescit ad terminum quemdam affectio localis ratione: saepius vero febris exanthematis, licet optime floridi magnis cum periculis imminuta deflagrat. Pars vero ipsa, cui, quocumque vel loco vel tempore erysipelas adhaeret, gravitatis primum atque caloris externi, mox vero pruritus et ustionis sensationem experitur; postea descriptus supra rubor, roseus fere et illimitatus ad minorem primum cutis circuitum, tandem ampliori extensione efflorescere observatur, rubor et tumor et dolor propriae indolis et absque limitibus sunt, cutisque vel universae v. affectae saltem partis functio abolescit; viget v. aucta secretio est, coercita excretione. Tandem vero, pro varia erysipelatis vehementia, sub finem quartae aut quintae ab eruptione diei, interdum sexta, 7tima vel octava fere, cutis mador, sudorque nocturnus — in aliis diarrhoea, aut narium haemorrhagia, saepe sudor insimul, ac urina sedimento puriformi instructa, vim febris ac erysipelatis infractam testantur, quod nunc subsidere, pallescere, epidermis vero in furfures aut squammas decidere incipit, aliquorumque dierum intervallo ex cute disparet. Sub repetito tamen morbi ad partes novas insultu, haec desiderata criseos signa, licet desquammatio hinc illinc succedat,

ad undecimam, decimam sextam, nec certam alias diem differuntur. In leviori erysipelate saepe nulla criseos signa comparent.

*Brevis expositio diversae formae s, specierum.*

Natura nimio locali impetu, vasorumque strepitu reagente, exoritur erysipelas phlegmonoides, s. phlegmonosum, quod non aliam certe, nisi vehementiae ac profundioris sedis differentiam agnoscit. Color tunc quod de capitis praesertim affectu, frequentissime phlegmonoso, valet, obscurior est, tumor profundior, durior, dolorque lancinans magis, pungens et ardens observatur, et facilior simul morbi conversio in abscessus est, febrisque, mere inflammatoriae v. inflammatorio gastricae, singula symptomata fervent, et praedominantur.

Bullosum erysipelas fit, quod materia seroso-lymphatica retis Malphigii vasis coriique sub epidermide exsudetur, haecque sub phlyctenarum, seu vesicularum bullarumve forma elevatur: distinctae hae bullae plerumque sunt, interdum confluentes. Nonnunquam vesiculae prima jom comparentis erysipelatis die cum hoc ipso prodeunt, et ad ovi columbini, vel et gallinacei interdum magnitudinem crescunt; alias vesicantium effectui aequant, aut bullis, a combustione productis; evanes-

cunt sensim, vel rumpuntur, crustas seu ulcera a stagnante sero relinquentes; morbus ceteroquin idem est, idemque suus decursus, symptomata modo potenter exasperans.

Medicorum quoque fasti de erysipelate habituali loquuntur, quod verno utplurimum, imo periodico tempore hominibus cachecticis recurrat, aliis mitius sit, pedibusque consuetius.

Sub maligni vero nomine illud terret erysipelas, quod tum simplex, quum phlegmonosum, summa mox virium prostratio, lipothymiae, deliria, sopor, stupor, ac celerrimus vel in ulcera mali moris, gangraenasve transitus sine manifesta causa comitari solent. Ad alia vero, quae nominavimus, elucubranda sufficiant, quae breves supra definitiones suppeditant. —

## *Sedes.*

Quemadmodum nullum corporis humani punctum, inflammationi non idoneum, ita pellis humanae nulla provincia est, erysipelatis domicilium non umquam animadversum; imo ad interiores corporis partes residere valet, alias si vera auctores recentiores defendunt.

Multum quippe internum hoc erysipelas, a veteribus creditum, subsequis in dubium

vocatum, recentissimis vero auctoribus denuo vindicatum est; hinc sub judice lis est, quamvis ego, dum erysipelas aliquod peripheriam externam fugerit, et internam, sive ostia perreptando, sive vicinitates praetervolando, dissitissima saepe organa inopinato petierit, propter substrati diversitatem formam inde, nullatinus naturam mutasse, nec secus, profecto sciam, sicque de interni erysipelatis non modo existentia, sed et frequentia, libenter mihi velim persuadere. — Certum vero, erysipelas in omni parte peripheriae externae esse, creberrime tamen in facie, collo, mammis, scroto, atque artubus extremis. Paucis in casibus universale erysipelas cutem, quam longe patet, universam occupavit; in aliis vero non omnem cutem insimul, sed diviso impetu et gradatim invasit, seu in aliis truncum totum dimidiumve circini in modum amplexum est, zonamque, ut supra diximus, constituit.

Si itaque adcaput, cujus proprio corpore praestans nuper in clinico dedi collegis exemplar, erysipelas prorumpat, tunc ex una utplurimum gena, vel aure vel naso *) suum principium

*) Favore majorum! — Erysipelata, naso exordientia, aliis videntur esse periculosiora. Quorum nasalium, si vocabuli barbaries non abhoreat, tria fideliter casteque, observavi, eaque monstrosa omnia, duo lethalia.

est; mox ad alterum latus, frontem, brevique tempore ad capillatam capitis partem extenditur; tumor modo altius, quam in alia fere omni parte, assurgit; inflantur quasi ab oedemate, oculosque rubentes abscondunt palpebrae, labia et nasus valdopere crassescunt, aërique aditus gravatur; omnium, quas penetravit partes, insignis percipitur dolor tensivus et ardens, aciculis tamquam ubique pungentibus effectus, glandulae lymphatica post aures positae vel axillares otius serius dolent, et facies et caput universum ad molem augetur vere monstrosam. — Jam vero aeger nunc, meningibus et cerebro vel in consensum tractis, vel insimul a tam vicino sibi incendio correptis, in saporem delabitur, aut ferociter incipit delirare, bariccoia ingruit, vehementer sitit, difficulter deglutit, multasque interdum sordes ejicit per vomitum aeruginosum. Abhinc diversae dein nascuntur periclitantium encephalitides, synochae, febres postea nervosae, putridae, rarae reconvalescentiae, frequentes mortes. Si aeger ex dira organi nobilissimi passione diem non obit supremum, sensuum stupores remanent, vires difficulter refocillantur, et inamoenum sequitur defluvium vel omnium capillorum.

Dictis antea praedilectis ab erysipelate locis, singularem nunc suam, attentioneque

summopere dignam virtutem nomino **volubilitatis**, seu libentissimae ex una in aliam parte migrationis. Pro antiquissimo et consuetissimo hoc sibi ambulationis studio nec per diem certa securitas est, neque vel leviori etiam morbo fides habenda; ipsemet inconstantissimi plura vidi morbi exempla, duoque, ut nota ait, lethali insultu in cerebrum versa; et ego immunis haud valedixissem nosocomio, ni vim morbi deleteriam celeb. Prof. Schroff solertissime lusisset. Proinde minime juvat, partem erysipelatis aliquam subsidere, nisi febris simul, dolorque ubique remittat, cum saepe in vicina, aut dissita, aut interna parte non minor ac in priori, stimulus, irritatio, inflammatio idem de novo morbus, aliusve recurrant.

## *Aetiologia.*

Praeter ea quae supra generalia de origine diximus, de erysipelatis causis specialibus adhuc sequentia valent. Localibus illis influxibus, qui erysipelas spurium producunt, ut stimulo superficiali frictionis cutis, ambustionis, aquae fervidae, sinapismi, vesicantis remedii, puncturae apum at vesparum, liquorisque, quem viritata nonumquam animalcula, insecta in sui defensionem pargunt — ut vulnere, fractura, compressione, inoculatione v. solo emplastro aut cerato et aliis, minus respectis, praeter

acre, quod cumque demum, sive rheumaticum sit, s. arthriticum, s. syphiliticum, scorbuticum s. canceraticum etc. certae quaedam et singulares àdhuc causae dantur, quae ansam erysipelati plerumque largiuntur. — Potissima erysipelatum officina in vitio systematis biliferi est, quod tam status symptomatum polycholicus, quam congrua huicce medendi methodus luculenter demonstrant. Ex bile hinc et saburris in primis viis copiosius collectis, et ex verminosa putridaque colluvie erysipelas persaepe originem ducere et ratio sùadet et experientia confirmat. Alia frequens istius causa refrigerium est, vernali et auctumnali praesertim tempore cutis transpirium cohibens, ita ut timidi salutis custodes vel leviori aurae afflatu erysipelas sibi concilient. Alia animi motus et affectus sunt, ira praesertim et timor, et quodcumque aliud mentis fortius pathema; quorum vero omnium erysipelatum patheticorum factum, minimeratio liquet. Iterum causae ingesta corrupta et acria sunt, veluti pisces, mytuli, ostreae carnes, aliaque rancedine penetrata. Sunt denique, sed de paucis hoc asserendum credo, qui ob peculiarem, ut vocant idiosyncrasiam, rerum vel diversissimanum sive esu, sive visu etc. erysipelate prehenduntur, systematis nervosi pro hoc auctoritate nedum intellecta.

## *Exitus.*

Quemadmodum omnis processus organico vitalis normae congruus, juxta stabilitas immutabiles ac aeternas naturae leges, sua incrementi, vigoris et decrementi absolvit stadia, sic etiam idem processus normae incongruus nonnisi triplicem habere potest exitum, utpote in sanitatem, morbum alium aut mortem, proinde erysipelas quoad exitum huic obtemperare debet naturae legi. Terminus vero singulus diversus est pro diverso morbi caractere, forma, gradu, individuo, constitutione febris aliisve. Utplurimum, dum per 5, 7, imo 11 dierum spatium regulariter percurrerit, multiplicata saepe desquammatione resolvitur et in sanitatem abit. Febris per crises suas solvitur, per sudores nimirum assiduos, urinas hypostaticas, epistaxim nec non alvum fluidiorem. Verum etiam in alios, sive posthumos morbos devehitur erysipelas, quorum principales suppurationes sunt, exulcerationes, interdum pessimae, et gangraenae. Nonnunquam in celerrimam mostem desinit, metastasibus in organum nobile factis. — Interdum etiam neglecto a reconvalescentibus transpirationis opere leucophlegmatia et anasarca partialis remanent; quae vero aegritudo nonnisi processus conti-

nuatus erysipelaceus videtur esse, talisque tractanda.

*Prognosis.*

Diversa quidem pericula pro diversa causa, caractere, parte affecta, gradu, individuo, febrisque imprimis adsociatae natura, nilominus tamen erysipelatis, etsi blandissimi, graeca semper fides est; quapropter pro extrema sua inconstantia ante criticas et partis et febris apparitiones nec aeger nec medicus securi. „Inde deducitur, ut M. Stollius ait, ratio mortis saeper non praevisae intra paucas horas a morbi principio apoplecticae, suffocantis, itemque velut ab assumpto caustico, scilicet ab erysipelate amplo vesiculoso, cito gangraenescente, caput totum, collum, organa respiratoria, imum ventrem obsidente; comprimendo encephalum jugulares; elidendo fauces, pulmones; phlegmone maligna mox gangraenescente, viscera abdominis, tubum praecipue alimentarium destruendo celeriter." Erysipelas inde ab externis partibus intro converti, malum; ab internis vero extra, bonum. — Timentur in genere erysipelata phlegmonosa, ob difficiles, quas cient, suppurationes, v. ulcerationes potius, ulcerumque sinuositates, et gangraenas; oedematosa porro, imprimis si individuis cachecticis insunt, viribusque destitutis. Periculosum prae ceteris bullosum, erysipelas idque faciei est per nobilissimi corporis organi vicinitatem, ubi, quamprimum sopor, deliria, tendinumque subsultus accedunt, encephalitidis erysipelaceae v. apoplexiae mi-

nantur pericula. Pessimum vero, quod febri nervosae, putridae v. malignae nuptum est, quo quidem in periculo superius nullum habetur.

### *C u r a.*

Duae praeprimis a longissimo retro tempore celebres sunt erysipelati medendi methodi, quarum prima emesis, alia transpirii cutis praecipue, utraque hinc causae plerumque principalis studiosa fuit; et nostris quoque solibus, factis utique congruis rerum modificationibus, perbene conduxisse primam saepe saepius experti sumus; etenim tam hyeme ad finem vergente, quam veris praesentis medio et fine non medeocriter moti medici sunt erysipelatum et frequentia et causantis bilis auctoritate. Per tantum emeticorum remediorum commodum non displicere e re puto, si cum actione eorumdem atque virtutibus paulisper digrediar. — Eliminant vero primo emetica sordes diversas, quae vel ab intus v. extus coacercervatae sunt. Nervorum dein systema per experientiam potenter faustoque modo alterant. Cutem tertio petunt, ejusque munera eminenter urgent. Etsi physiologiae luminibus ultima, qua factum certum ratione contingit, nedum perspecta sit, hypothesium tamen ope doctis placuit sequenti modo exaggarare quaestiones:

a) per singularem ad peripheriam orgasmum humorum;
b) per effectam materierum separandarum dilutionem, minutam nimirum cohaesionem;
c) per faciliorem inde ineptorum excessum, stimulata praesertim detentae cutis func-

tione. Quibus omnibus rite perpensis, maximum inde pro curando erysipelate auxilium in emeticis esse, minus in purgantibus aliisve, abunde liquet.

Quemadmodum omnis, sic erysipelacei quoque morbi medela initium faciat ab indicationibus generalibus, quae statuendae sunt:

1. Sufferendo momenta causalia, ut sufferri possint saltem, effectus.
2. Repristinando, quae scopum vitae fugit, discordem functionem, seu, quod idem est, ut stimulo specifico ablato, retuso sanetur status praesens, et impediatur ulterior ejus progressus, nocivusque caveatur.

Ut polycholiae, saburrae, refrigerii pathematis, retentorum profluviorum, ingestorum, discrasiarum etc. causae diversae sunt; ita, nisi impio admodum modo, non omnis me hercle adventitii erysipelatis curam cum vel emetico, v. Mindereri spiritu aliisve, quae mos inveteratus jubet, auspicari oportet, sed ad causam potius et individuali semper modo instituere. Hinc, cur nunc emesis, nunc purgatio alvina nunc phlebotomia et necessariae et unice proficuae sint, sufficienter patet. — Quibus opportuno modo actis, methodo indirecta morbum aggredimur ipsum, et attentimus, quant erysipelati qualis, quantusque accesserit status febrilis, in omni enim, quemadmodum peritissimi praecipiunt, phlogoseos concursu cum febre, prima semper post causam ratio habenda est pyrexiae, secunda inflammationis: quae vero febris quum ex plurima parte diversi gra-

dus inflammatoria v. inflammatorio-biliosa sit, hinc et oppositum sibi seu antiphlogisticum, s. antibiliosum desiderabit apparatum, cutis prostrata functione diligentissime semper respecta. Gradui itaque erysipelatis mitiori frequentissime methodo consulitur per linissima diapnoica remedia, stimuli plerumque expertia, veluti flores Tiliae-Verbasci, Nitrum, syrupum et roob Sambuic, nec non acetum ammoniacale, graviora si febris vestigia desunt; alia interna remedia nonnisi mitissima eccoprotica, ut Tamar. Pruna, Manna, Tart. tart. et Cremor Tartari, amicus simul diuresi. Externum tractamen non aliis, nisi simplicibus consistit tegminibus paulisper calidis, linteo, v. aptiori lana gossypina confectis.

Pro uno et omnibus omnino erysipelatibus, quae vera sunt, monendum est, quod impositis humidis frigidis et pinguibus remediis vehementer semper exasperentur, quam ob rem recentissimam aliorum cum aqua frigida omni erysipelati medendi methodum concipere et imitari numquam possum; imo phlegmonoso solum erysipelati, si ardens dolor et tensio flagitant, cataplasmata et fomenta emollientia, ne umquam vero refrigirantia! adaptare licet, et quam primum a primis furiis inflammatio relapsa sit, cum integumentis denuo siccis calidisque commutanda. — Ne igitur levioris gradus morbo magna remedia opponantur, morbo forte ipso majora, sapientissimaque turbentur conamina naturae; cujus semper consilio quaesitum erysipelatis remedium curare committendum est, quoadusque feren-

dis ex ipsius remedii periculis non impar organisatio videatur. — Nec alia, quam quae alvum bis terve de die aperit cutisque functioni diapnoicis prospicit, impositis loco tegmentis v. fomentis siccis, camphorae, si placet, portione refertis, medela in frequentissimo erysipelate faciei requiritur; ast major mox oritur curae difficilitas, dum vel primis initiis magnitudine morbus excellat, vel serius periculosum capiat augmentum. Prima iterum inquisitio febris est; si mere valideque inflammatoria est, apparatus utique antiphlogisticus, vi morbi par, adhibendus, reliquis, quae jam praescripsi, actis; — prae omnibus vero interne Nitrum cum Arcano dupl. et roob Samb., qualem vel specificam cl. mei Dom Prof. Bischoff mixturam ipsemet utilissimam saepe conspexeram. Etiam calomel loca sua seriori decursu habet, hepate utplurimum affecto. Si febris adhuc major evadat, atque synochosam haec ipsa ostendat indolem, imprimis, si caput vehementer obsideatur, cum pulsu forti, pleno, duro v. suppresso, tunc in hirudinibus ad loca ab inflammatione magis libera, post aures v. ad acciput positis, nec non in venaesectione, imo repetita, princeps auxilium est. Sed si ullibi, hic certe loci, difficillima venaesectionis indicatio est! Medicum expertissimum sensus quidam et praesagium de erysipelatis constantia aut fuga ducit, dummodo primis viginti quatuor horis fidelissime observet. Quantae difficultates tironibus! — Semper cum venaesectione cautissime mercandum et cogitandum ubique erit, exanthematicam

hanc inflammationem, non ut simplicem aliam aut puriorem per sanguinis missionem tractandam, sed pro felice resolutione, atque crisi per cutem ipsam obtinenda, vires naturae sufficientes servandas esse. — Per toleratum erysipelatis decursum gastrica quoque symptomata frequenter evolvuntur, quorum tamen minor ratio habenda est, cum irritationi magis debeantur refractisque dosibus Tart. emet. facile profligantur. — Quodsi vero, licet omnes solertissime expleantur indicatione, non modo nullum conspiciatur morbi levamen, imo in horas hic exacerbetur, si stupor increscat, et ad interiora repercussum erysipelas videatur, tunc pro varia retrocessus causa, variaque novae aegritudinis indole varia medendi methodus adhibenda. Causa vero retropulsi erysipelatis utplurimum v. refrigerium est, v. animi pathema v. sordes gastricae v. purgatio nimia, tractamen frigidum aliudve pravum; hinc nunc venaesectiones, nunc excitantia potius remedia, nunc diapnoica, antimonialia, nunc sedantia, in aliis emetica, vel alvum breviter laxantia etc., exhiberi possunt; externe vero, ac ad ipsam, quam deseruit erysipelas partem, aut dum facies id recuset, ad ejusdem vicinas posita vesicantia, aut sinapismi, v. cantharidum tinctura cuti infricanda, aut per pannum infundenda aqua fervida, aut, quem his utilissimum vidi, sinapismus fortissimus super universam capitis partem capillatam, auxilianda. Quamprimum porro cerebrum erysipelas petiisse constat, et periculosissimi incendii symptomata prodeant,

tunc utique non modo frigida, sed glacialia fomenta opponi debent. Ubi summum fuit periculum in mora, saepius jam juvit utriusque incisio brachii, seu fonticuli, ope cultri formati. — Si vero febris nervosae symptomata compareant, ad suam, quae pyretologia docetur, rationem, stimulante praeprimis camphora, Doweri pulvere etc. cutisque irritamentis externis tractetur oportet, sicque putrida febris et maligna, malaque sua difficillima externa, emolientibus, roborantibus et antisepticis plerumque tractanda.

Ceterum, quae aegri gerendum morem et reliquas medici institutiones attinent, praecipiuntur:

1. ut victus tenuissimus sit, vasorum et Nervorum fervori resistens, hinc vegetabilibus potius quam animalibus demtus.
2. Potus diluens, blandus, subacidula limonada v. thea stimuli expers, largaeque quantitatis.
3, tranquillus versetur aeger in lecto, et procul sit ab omni pathemate animus, praesertim ira, hepatis turbis maxime amica. Externa, velut diximus, remedia vel nulla alia, nisi, quae tueantur ab auris desiderantur integumenta, camphora, si velis desquammationis tempore, referta. Populus quidem praeconceptis magis opinionibus, quam rationis argumentis ductus, diversissimis imponendis rebus, plumbo praesertim, cretae, camphorae, herbis recentibus, siccis; miscendo rotunda quadratis, sacculis propriis, superstitionis

ad normam confectis, pellibus porro animalium aliisque multis studet; verum tamen etiamsi evanidum posthinc erysipelas nonnunquam visum sit, hic v. alibi is idem v. alius mox exoritur morbus vitae sat crebro discrimine plenus; sicque, in externis praecipue, eo rectius ministrat medicus naturae, quo minus efficax est, et plurimum curae opus hujus viribus medicatricibus consultius tribuit et committit.

## LITTERATURA.


Vel omnes, qui Inflammationi operam novavere, insimul de erysipelate verba fecere. Splendent aero:

Brambilla (de Phlegmone) qui prudentissime ex antiquorum fastis collegit.

Burserius (instit. 2 pag. 13.)

G. J. Richter, sen (in tract de febr. erysipelaceis. Gött. 1744.) (et in celeberr. sua Chirurg.)

J. G. Vogl, (libr med. pract. t. III. pag. 318.)

Reil, (pyretologia. 2 tom. pag. 336.)

P. Frank, (epitome III. pag 27.)

Van Hofen, (libr. med pract. tom I. pag. 242.)

J. R. Bischoff, (principia de exanth. publ. juri nedum facta.)

C. A. W. Bereuds, (libr. med. pr. tom. III. de infl. p. 301.)

Et aliorum in arte medica virorum eximiorum nomina, propter dissertationis angustias neglecta. —

# THESES DEFENDENDAE.

1. Nec fama, nec aetas, sed judicium et experientia faciunt medicum.
2. Medicus, si prodesse non potest, certe non noceat, divus Hippocrates bene monet.
3. Quo quis simplicioribus sanaverit remediis morbum, eo medicus praestantior censendus erit.
4. Ophthalmiatria pulcherrimus, sed etiam difficillimus medicinae ramus.
5. Ex solo oculi adspectu saepius organismi adfectiones occultae cognoscuntur.
6. Extractio cataractae, ubi fas est, omnibus aliis illius operationibus anteponenda.
7. Trichiasim, ni scalpellum admoveris, frustra radicaliter sanare tentabis.
8. Erysipelas symptoma utplurimum est morbi alius.
9. Plures remediorum usus necat, quam vis et impetus morbi.
10. Dislaceratio capsulae lentis ejusdem discissioni praeferenda est.
11. Medicina non aliter ac experientiam colendo lucratur.
12. Strychnina remedium anceps.
13. Nausea fidus index est ineptorum.
14. Animalium natura non indiget instructionibus.
15. Male agunt, qui medici cancrum vellicant, aliave insanabilia inquietant, et vel simplicem catarrhum curare non intelligunt.